

B. M. II 123.

467, 31

X 1876056

h. 29, 31.

II k  
1779



DISSERTATIO POLITICA  
De  
COMITIIS IMPERII  
ROMANO-GERMANICI  
Quam  
DIVINA NUMINIS TRISAGIA  
AD SISTENTIA

SUB PRÆSIDIO  
VIRI  
*Juris ac Prudentia Consultissimi, Theolog.  
præstantissimi, Philosophi &  
Philologi Clarissimi*  
DN.

CHRISTIANI GUEINZI Hallensis  
ad Salam Gymnasii RECTORIS vigilan-  
tissimi, Præceptoris sui æternum  
colendi, venerandi

*Ad diem 1. Maji proponet*  
SEBASTIANUS SCHUBARTUS  
Tachypyrgera Mysus  
*In Auditorio primo.*

HALLÆ SAXONUM  
Ex Typographæo Oelsehlegeliano, -  
ANNO clc lxc XLV.



VIRIS

*Quoquo virtutum genere Nobilissimis, Prudentiâ  
Consulissimis, Gravitate Amplissimis, Spectatissimis*


**Dn. JOHANNI BUTNERO, J. U. D. Reverendissimi  
Archi-Episcopi Magdeburgensis, Principis Sere-  
nissimi Consiliario intimo.**

**Dn. MELCHIORI ALEXANDEREN/Su-  
premo Camerae Electoralis Saxoniae Praefecto.**

**Dn. MATTHÆO SCHÜBARTO, Illustri ac Ge-  
nerosissimo Comiti ab Oldenburgâ Secretis, in Aulâ Cæ-  
sareâ Agenti atquè Residenti.**

**Dn. JOHANNI SCHELIO, Πολυγλώσσῳ,  
celeberrimo,**

*Sanguinis ac Affinitatis vinculis  
sibi conjunctissimis, Patronis atq;  
Mecænatibus suis maxumis*



Dissertationem hanc  
sacrat



Resp. & Aut.



# ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.

## THESIS I.

**C**omitia Imperii nostri Romano-Teutonici consideramus partim quoad naturam, partim quoad affectiones: Quoad Naturam vel totaliter, vel partialiter: Totaliter tùm in definitione tum in Causarum enumeratione: Definitio alia est nominis, alia rei: Nominis tùm primaria, tùm secundaria: Primaria est vel in Etymologiâ; juxta quam Comititia dicuntur à Comeundo.

*Ita secundum Veteres, qui comire pro coire dicebant, teste Rosin. Antiq. Rom. lib. VI. Cap. 1. & Cruch. in pr. de Com. Rom. Alii Comititia dici volunt quasi Conitia, vel Conitia. Beckmannus in Orig. L. L. adhuc aliter de hujus vocis etymo sentit: Comititia quasi Cumitta à cum i. e. simul dici putat: quicquid sit, quæq; horum de notatione hujus nominis sententia cum re familiariter convenit: Et dicta sunt Comititia inde, quod plures in unum certum locum convenire soleant: unde perpetuâ multitudinis figurâ Comititia censentur, teste poëtâ illo & Front. Cornelio apud A. Gell. noct. Att. Lib. XIX, Cap. 8.*

*existens enim, quando apud probatos autores hanc vocem legimus, locum semper, in quo Comititia celebrantur, nunquam ipsa Comititia sive actum eorum notat, quod inter ceteros probata nota Scriptores confirmatur autoritate Livii Lib. XXVII. c. 38 ubi Comitium celebratum, fuisse dicit, cum ante lecto caruerat, unde saepe propter ingruentem tempestatem Comititia impedita fuisse leguntur Lib XC. c. 42 & Tacit. Hist. l. c. 17. H. Cic. l. ad Heren. & Orat. VI. in Verr. Plaut. Curc. Aet. IV. sc. 1. Plin. natur. hist. lib. XV. c. 18. Alex. ab Alex. genial. dier. & Tiraq. in annotat. eundem locum. Rosin. Antiq. Rom. Lib. VI. c. 5. Quamvis Blondus Lib. III. De Româ triumfante, apud A. Gell. locum coeundi tempus, & actum ipso eodem Comitii verbo significari asserat, quod tamen apud laudatum autorem me legere non memini; quin potius contrarium supra ex eodem allegavimus. De loco autem in quo contrahi olim solebant Comititia infra dicemus. Notandum à Comititiis morbum illum, quem alias sacrum & Herculeum vocant, appellationem traxisse, ut comitialis dicatur, quod iumpere & vitare soleat comitia. Plin. passim lib. hist.*

## THESIS II.

**V**elin Homonymiâ; quoad quam vox Comitiorum accipitur apud scriptores dupliciter:

**P**rimum sumitur vel propriè pro Conventu populi de publicâ salute deliberaturi, uti hoc loco: Vel impropriè & metaphoricè, uti apud Plaut. Aulul. Aet. IV. sc. 7. Ibo intrò ubi de capite meo sunt Comititia; id est, ut Gruterus explicat; ubi de famâ & salute mea agitur. Deinde sumitur partim Latè, pro quovis conventu populi, sive universi, sive partis tantum, sive ludorum, sive suffragiorum conferendorum causa: apud Cic. pro Sext. Liv. & alios: partim capitur strictè: secundum Lælium apud A. Gell. Lib. XV. c. 27. quando universus populus ad suffragia ferenda olim, hodie Imperator cum Statibus inperis de eius utilitate consultaturi conveniunt.

Thesis III.

### THESIS III.

**S**ecundaria Comitiorum definitio consistit in Synonymia; secundum quam comitia varias sortiuntur appellationes.

**D**icuntur 1. *Conventus per metonym gen. pro specie, teste Joh Baptist. Egnatio Veneto in Annotat. in C. Sveton. in Vita Iulii Cæsaris: Conventibusq; paractis, Ravennæ substitit. Bodin. de Rep. Lib. III & passim; Vulgò Conventus. Tage. Item Concilia apud Livium, quamvis accurate loquendo Concilia, olim dicerentur, quando pars tantum populi conveniebat. Comitiam verò, quando populus universus convocabatur Lælius apud Gell. d. I. que tamen differentia non admodum curiose observata apud clasicos Scriptores reperitur, cum non raro alterum pro altero indifferenter positum legatur, teste Rosin. Ant. Rom. Lib. VI. c. 1, 3. Vocantur Conciones. Bodin. loc. all. Item Collegia, Congregatio, etc. Constit. Imper. tit. 12. Germ. Ein Reichs-Tag / Gemeine Reichs-versammlung. R. 7. Veneti consilia magna vocant. Francisc. Schottus & Hieron. ex Campugnano in Itinerario nobil. Italiae region. part. I. pag. 38. ubi & modus suffragandi in Veneto Imperio usitatus describitur.*

### THESIS IV.

**S**ic fuit Definitio nominis; Seq. Rei; juxta quam Comitiam Imperii Romano Germanici sunt conventus publicus Principis & Statuum Imperii de rebus gravioribus Imperii salutem concernentibus consultantium.

**V**ariè à variis definiuntur Comitiam, sed a multis potius describuntur, quam accurate definiantur; nobis hæc probata videtur definitio, quæ genere constat, & differentia, quæ causas continet, quas mox singulas seorsim examinabimus.

## THESIS V.

**C**AUSÆ Comitiorum Imperii nostri sunt Externæ vel Internæ. Illarum alia est Finalis; quæ est Salus & utilitas publica.

**H**ic finis semper ultimus est in negotiis publicis, quale & hoc est. Intermediæ fines sunt varii; cum singula fere Comitia singulorum suum atq; certum finem habeant, ob quem contrahuntur; quorum tamen sint, omnes ad Reipub. salutem tendunt. & dirigi debent: sive n. de novo Capite Imperii eligendo, sive de movendo, sive de deponendo bello, sive cuiuscunque negotii alius gratia contrahantur Comiticia semper salutis publicæ conservanda instituuntur; & si minus, sunt impia, iniqua, & destanda potius Catilinaria cõspiraciones, quæ ex Constit. Carol. V. tit. 15. prohibita sunt; quarum exēpla apud historicos scriptores sæpe occurrunt, ac ut plurimum tristes ac tragicos exitus habuere.

## THESIS VI.

**A**lia Efficiens, & est Imperator, qui habet jus indicendi Comiticia,

**C**irca prima Romani Imperii exordia potestas hac tota erat penes populum, quam primi Reges ipsi liberè concesserant, ut hac ratione singulorum mentes delinirent, sibiq; obstrictas facerent, mox cum Imperio participata ac divisa transiit ex parte ad Cæsarem primum, Romana Monarchia fundatorem, & tandem libero consensu populi cum omni maiestate tota devoluta est ad Impp. per Octavianum Augustum Rosin. Ant. Rom. Lib. VI. c. 4. VVendel. Instit. polit. Lib. II. c. 26. Expl. th. 3. Alex. ab Alex. Genial: dier. Lib. IV. c. 3. & patet ex Hist. Livii Lib. XX. & passim & ex Pac. Lib. I. Anal. c. 15. & XIV. 28. Sueton. in vita Cæsaris c. 41. De qua potestatis mutatione etiam Iuven. Sat. X.

..... qui dabat olim  
Imperium fascēs, legiones, omnia nunc se

Con-

*Continet, atque duas tantum res anxius urget,*

*Pannum & Circenses.*

*Et mansit hac potestas penes Impm. usq; ad hac Romani Imperii secula, ubi fuis Majestatis regale dicitur soli Imperatori proprium. Cunn. Einſiedel De Regal: cap. XI. n. 300. Verum ita propria, modestia (qua uti omnes homines, ita vel maxime Principem, & quo magis in alto est, eò magis decet Lips. lib. II. Monit. polit. c. 14.) temperata, ut sine approbatione Electorum Comitia Imperator hodie non indicat Besol. Polit. Lib. I. c. 4. n. 30. Regn. Sixt. De Regal. Lib. 1. c. 4. n. 29. Keckerm. in System. Polit. Lib. I. c. 7 Schönborn Polit. Lib. IV. c. 33. & v. 8. Quos Electores comitia celebraturus Imperator cōsulere prius tenetur, juxta Capitulationes, in quas antequam in auguratur, jurat. CL. Benedict. Carpzovius in tract. De Capitulat. Cæsar. Cap. I. n. 18. & cap V. n. 2. in quibus expresse habetur se nulla Comitia indicturum absque Electorum consensu: Das Keyserl. Majestät ohne Wissen vnd Willen der Churfürsten keinen Reichstag ansetzen noch außschreiben wollen. Cunn. Einſiedel loc. all. & Paurm. De Jurisd. Lib. II. c. 8. num. 18. & seqq. Et horum Consensum sollicitaturum se promisit ipse Carolus IV. Imp. Darnach sol der Ort da Sie folgendes Jahrs bey einander erschetwollen in ihrer berathschlagung durch unser verordnung nach unsern vnd ihren Willen vnd gefallen bestätigtet. tit. 12. Et has Constitutiones atque leges fundamentales ne quidem mutare, nedum abrogare hodie Imperator potest; licet aliàs legibus solutus dicatur, fundamentalibus tamen legibus & Imperii Recesibus omnino tenetur, uti & jure naturali. Carpz. Cap. Cæsar. Cap. XII. n. 7. & seqq. quia Imperatores eas non soli sanxerunt, sed omnibus imperii statibus ad sistentibus promulgatae sunt: deinde, quia eas confirmaturum se in Capitul. sanctè juravit in Electione additè hac clausula; Solches alles vnd jedes besonder/ wie obstehet/ haben wir obgemeldeter Römischer König dem gedachten Churfürsten geredet/ versprochen vnd zugesaget / bey unsern Königlichen Ehren Würden vnd Worten/ thuen daß selbige auch hier mit vnd in Krafft dieses Brieffs ic. Neq; tamen restricta hac quoadantenus Imperatoris potestas Majestati repugnat, prout quidem Bodinus Germani*

*Im.*

Imperii obiectator insignis arbitrat; Imperatorem non nisi inane  
nomen & titulum Majestatis & Imperii habere, & totum subjectum  
esse Electoribus, eorumq; jctioi; & hinc rectius Aristocraticum quam  
Monarchicum Imperii Romani statum dici probare audeat, in  
method. Hist. c. 6. & De. Rep. Lib. II. c. 6. Cui & assentiri vi-  
de tur Quir. Kubachius Cent. I. Dec. I. q. ult. Hujus controver-  
sia decisionem, quia non nostri instituti est vide si lubet apud Arum.  
Disc. I. Petr. Heig. in quest. Jur. Ciu. & Sax. q. 2. n. 21. & seqq.  
Stebenthal in Colleg. polit. Exerc. VIII. q. 1. Ceterum quis est  
qui proprio gladio Bodinum se jugulare non videat; quippe si ratio-  
nes ha alicujus valoris essent, certe nec Rex Gallia Monarcha erit,  
quia & ille sine Parlamenti autoritate in negotiis regni nihil plane  
statuere potest, pro qua Reip. forma tamen dictus Bodinus, Chassa-  
næus, eorumq; affectu acriter pugnant. Thom. Michaël in Conclus.  
Jurid. De Jurisdic. th. 15. Quare nihil detrahit moderata hac po-  
testas Majestatis, quia convenientia etiam inter species disparis vir-  
tutes saepe est, inquit Iust. Lipsi. dict. Lib. Pol. c. 16. Et hoc ipso Im-  
perator Romanus se Regem. Regum, prout se nominare solebat D.  
Imp. Maximilianus, esse ostendit; (cum contra Rex Hispania Rex  
servorum dicatur) ac proinde honorem & reverentiam ipsis debitam  
praestat. & hi vicissim Imperatori suum non denegant, neque enim  
semper & indeterminatè honor ab inferiorib; debetur superiorib; sed  
& quandoque superiores honorare debent inferiores. Et quod si Pra-  
latus non servat reverentiam subdito, nec subditus tenetur ei servare  
Barth. Chassan. Part. I. Conf. 21. Jus itaq; contrahendi Comitia  
habet Imperator, sed cum consensu & approbatione Electorum ita  
ut sine horum autoritate usq; reclamantibus instituta non habeant  
vigorem Arum. ad A. B. Disc. I. th. 7. neque unius saltem vel al-  
terius requiritur ad sensus Electoris, sed omnium & singulorum, imo  
uno tantum eorum refragante possunt impediri Comitia; exemplum  
habemus manifestum An. 1530. factum, ubi Iohannes Dux &  
Electo Saxonia consentientibus ceteris solus diu impeditabat, quò mi-  
nus Ferdinandus vivo Carolo V. fratre in Romanorum Regem elige-  
retur; quia hoc erat contra leges fundamentales, eligere Romanorum  
Regē Imperatore superstite Debēt a. dissensionis causa esse graves &  
fontica secus n. & ex cōtumacia si fiat, tunc omnino indicta Comitia  
pro-



cedere possunt, ac robur suū habent Decreta absque refragantis suffragio, secundum Constitutiones Imperial. tit. 1. 21. & clausulam, quæ affigi solet ab Imp. literis Comitibus; D. L. erscheinen als denn oder nicht. ic

### THESIS VII.

**C**AUSÆ internæ sunt partim Materia, quæ vel ex quâ; & sunt personæ, quæ in Comitibus convenire solent, puta Imperator, cæterique Status Imperii.

**H**AUC in eptè perfecto Corpori Romanum Imperium adsimilatur, cuius caput Imperator, juxta Constit. Imper. tit. 2. Et Dominus mundi, in l. de precatio. 9. ff. ad l. Rhod. de jact. Item Dominus Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septentrionis, Bald. Consil. 359 Lib. 3. puta quoad lctionem, subjectionem & protectionem, non quoad dominium & possessionem. Einsiedel De Reg. c. 2. n. 16. & Schneidevv. in pr. n. 5. Unde Senec. in Lib. 7. de benef. disputans, num Sipienti quis donare quid possit, cum eiq alias omnia, pulcre dicit: Ad reges potestatem rerum omnium persinere; ad singulos verò proprietatem. c. 4. Cui in electione triplex Corona triplici metallo inponitur: prima ferrea, qua fortitudinem; altera argentea puritatem & claritatem; & tertia aurea, qua, uti aurum omni metallo excellentius, ita ipse Imperatorem aliis regibus & principibus in potentatu & iustitia excellentiorem esse debere, significat. Chall. part. V. Catal. gl. num. Cons. 27. Truncus & cætera membra corporis Romani Imperii, sunt Status, ordinesq, reliqui, quos Politici in tres Classes ordinant, Liebenthal Exerc. IX. n. 6. Sive Consilia. Christ. Befold. Lib. 1. cap. 9. num. 8. In prima Classe sunt septem Electores, qui digniores sunt omnibus Principibus præter Reges, Lansius in orat. contra Galliam, pag. mihi 932. Et sunt hi Bases solida Imperii, ac Columna immobiles prout vocantur ab ipso Imperat. Car. V. in Constitut. Imperat. tit. 12. cap. 2. à quibus etiam Germania Septicolumnis dicitur, teste Heidefeld. in Sphing. Theol. Philos. cap. XXXI. Ex per quos, velut sop-

sem Candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis sacrum illu-  
minatur Imperium, in pr. A. B. De horum Collegio, quo tempore,  
& sub quo Imperatore illud prima sumserit initia, erudita inter eru-  
ditos circumfertur controversia. Quidam Fridr. II. & Gregor.  
X. hujus septemviralis Collegii foundationem tribuunt; Peuc. Lib. IV.  
Chron. p. 145. Quidam Gregorio V. Papa adscribunt, Ioh. Bapt.  
Egnat. venetus Roman. Princ. Lib. III. Alii consuetudine intro-  
ductum esse volunt, in qua sententia est etiam Georg. Schönborn  
Lib. V. Polit. c. 33. Peuc. Lib. VI. Chron. Ioh. Limn. Lib. III.  
cap. 1. n. 7. & seqq. Verior tamen illorum videtur sententia,  
qui per Imper. Ottonem III. ( qui quòd puer 10. annorum ad  
hanc majestatem evehebatur, Otto das Kind; postea v. Mirabi-  
lia mundi vocari solitus est) institutum, & per Carolum IV. confir-  
matum ferunt: quam sententiam etiam fovent Dn. Arum. ad cap.  
IV. A. B. th. 6. Idem De lur. publ. Disc. IX. n. 29. H. Disc. XV.  
n. 80. & XVI. Conclus. 18 & Disc. XVIII. n. 3. Liebenthal Ex-  
erc. IX. q. 1. Lupoldus De luribus Imperii cap. II, Heigius quæst.  
III. Idem Wolfgang Krauß von Guntzenhausen in Chronicâ von  
Ursprung und herkommen des Chur- und Fürstlichen Stammes/  
des löblichen Hauses zu Sachsen / qui & rationem ponit, quibus  
causis motus dictus Imperator hoc septemvirale Collegium cum Gre-  
gorio V. patruo suo introducendi. pag. 63. & 64. Vid. præter hos,  
Ioh. Wolf. lect. memor. Cent. XIV. pag. 816. & XI. pag. 275.  
Blond. ab inclin. Roman. Imperii Decad. II. Lib. 3. pag. 189. Rin-  
gnam. Philesius in descript. Europæ & Gvilhelmus Caxtonus  
in Chronic. part. 6. Anno millesimo primo ajunt septem Imperia-  
les Electores constitutos esse cum ordinatione quadam in perpetuū du-  
ratura, teste, Wolf. loco modò prædicto, Bodin. verò ann. 1250.  
initium habuisse scribit in VI. De Rep. consulatur & Fulvius  
Pacianus tract. practicab. Lib. II. De probationibus cap. 35. n.  
15. & seqq. Dividuntur &, Electores respectu vel Dignitatis, vel  
Officii; ratione Dignitatis sunt vel Ecclesiastici; Moguntinus nimi-  
rum Trevirensis & Coloniensis Electores & Archiepiscopi: partim  
Laici, sive seculares & politici; Rex Bohemia, Palatinus, Saxo &  
Marchio Brandenburgicus. Respectu Officiorum; Archi Episcopus  
Mogun-

Moguntin<sup>9</sup> est Archicancellari<sup>9</sup> in Germaniâ, Trevirensis in Gallia,  
Coloniensis in Italiâ; Rex Bohemia est Imperatoris Pincerna, Comes  
Palatinus Rheni sacri Imperii Archidapifer. des H. Römischen  
Reichs Erz Truchseß / quasi Trug das Essen Limn. Lib. III c. 9. n. 20.  
apud quem ipse Imperator conveniri potest; Saxo est Archimarschal-  
lus & Ensifer, Marchio Camerarius. Vtriusq<sup>3</sup> distinctionis ratio-  
nabilitatem Vid. apud Christ. Hebenthal Exerc. IX. & in Constit.  
Imper. passim, it: CL. Dn. Præsidentem in Disput. De naturâ Poli-  
tices th. 26. Heig. quæst. IV. n. 58. De numero autem, Cur se-  
ptem & non plures pauciores ve Electores, etiam Politici discrepant.  
Quidã ad regnum Persicum, in quo septem Senatores Principi adde-  
bantur; aut ad Remp. Spartanam, in quâ totidem Ephori regibus  
adjungebantur, respexisse existimant, teste Peuc. in Lib. IV. Chron.  
p. 143. Alii propter suffragiorum in Electione conciliationem, cui  
nimirum parti septimus se adiungeret, ut ejus partis vota in Comitibus  
rata sint ex pluralitate, numerum hunc impari selectum fuisse,  
Peuc. Lib. IV. Chron. quemadmodum in Camera ex con-  
stitutione Maxim. fieri solet; quæ ratio probabilis quidem sed non  
sufficiens videtur & totum non exhaurit, quia ob hanc solam ratio-  
nem non fuissent adstricti ad huc numerum: potuissent n. vel quin-  
que vel tres, vel novem, imò plures numeri imparis seligere. Alii,  
quorum sententia probabilior, ad qualitates hujus numeri Electora-  
lis Collegii Autores in ejus fundatione attendisse; Est n. numerus se-  
ptenari<sup>9</sup> primò præstantior quovis pari; quia 1. monadi tanquam suo  
principio vicinior & similior 2. quia magis unus est, quam numerus  
par, 3. quia continet in se medium; par v. numerus semper rationem  
tantum extremorum habet. Deinde hic numerus in se perfectus est,  
& approbatus similibus, test. Chass. part. XII. consil. 37. Unde  
suo seorsum merito plenum hunc numerum haberi, monet Macrobr.  
in somn. Script. Lib. I. c. 6. p. 18. qui & Virginem vocari ait, quod  
nullum ex se pariat numerum duplicatus, qui intra denarium coar-  
ctetur, qui primus numerorum limes est. Idem Pallas, teste eodem  
dicitur, quia, ex solius monadis foetu & multiplicatione processit, si-  
cut Minerva sola ex uno nata parente perhibetur, cui & numerus  
hic à Pythagoricis consecratus erat. Natal. Com. Myth. Lib. IV.

p. 300. Et celebris hic numerus est multis exemplis & potestatibus: Sic septem sunt dona Spiritus Sancti à quibus septiformis dicitur; septem stellas, totq; candelabra videbat Johannes. Apocal. 1. Septem sunt hora quibus laudare debemus Dominum, juxta exemplum Davidis Ps. 118. unde & numerus sacer dicitur & Heptas veneranda, à Mart. Capell. Lib VII. Vide si placet, plura de excellentia hujus numeri. apud Chast. loc. alleg. Gell. noct. Lib. III. c. 10. & quem citat Varr. in Hebdom. seu Imaginibus Septenarii numeri, item Caelium in Antiq. lect. Lib. XI. & Nicol. Parvulum Bellonanensem in suo Septenario. Nos, cum nihil certi hac de re constet apud Scriptores, atque nudis saltem opinionibus Eruditi inter se digladientur, neq; ad hunc neque ad alium adstrictos fuisse numerum primos hujus Collegii fundatores dicimus. sed liberam voluntatem, uti in constituendo Collegio hoc, ita in seligendo numero quem velint, habuisse; interim nec sine ratione factum fuisse affirmare audemus, sed ad utrumque in inaugurando hoc Septemviratu Augustissimos ejus Auctores respexisse credimus, ut ob votorum conciliationem primum impari numerum, & inter impares numeros hunc Septenarium ob ejus excellentiam, perfectionem & virtutem adsumere ipsis placuerit

Hac de prima Classe. In secunda sunt Principes S. Imperii, qui vel Superiores, vel inferiores: Illi sunt partim Super illustres, & tum Ecclesiastici; Archi-Episcopi IV. præter Electores Ecclesiasticos; Magdeburgensis Primas per Germaniam, Salisburgensis, qui perpetuus Cathedra Petrina Legatus, arg. Decr. August. 1582. & Limn. Lib. I. c. 8. Bremensis, & Rigensis; tum Laici, Archiduces nempe duo; Austria ex linea Ferdinandi, & Burgundia à Carolo V. Imp. orti. de quorum præeminentiâ & privilegio vid. Chast. part. V. n. 30. & seqq. Partim sunt Illustres tantum, Duces nimirum & Principes. Inferiores sunt tum Comites, qui vel Principales Gefeürste Grafen, vel Simplices, tum Barones, &c. de quibus omnibus videre est in Exerc. XI. Colleg. Polit. Siebenthals CL. Do. Præles in loc. supra alleg. Paurm. in tract. De Jurisd. passim. & Besold. in loc. prædict. In tertia Classe sunt Civitates Imperii, des H. Röm. Reichs Frey vnd Reichs Städte, que dividuntur in duo Scamna; Rhenanum & Suevicum; in die. Rheinische vnd Schwäbische

bische Bancf. Nicol. Rensn. de Urbib. Germ. Imperial. l. i. f. 261.  
His Civitatibus Imperii quidam concedunt, quidē in Comitibus sessione  
sed ius votandi denegant; & distingvūt inter ius cōsulendi & suffra-  
gandi, quorum prius ipsis largiuntur, posterius non item, Verum  
errasse hīc nos non pudeat (quippe hoc sapientia initium, prout habet  
Scal. De L. L. III. c. 67.) cum Viris eruditis secūs hac in parte  
statuentibus; quia illorum sententia expresse contra Recessus Impe-  
rii, ex quibus patet primò, nulla observatā distinctione aq, ac ceteri  
Status ad Comitibus citari; Verba sunt expressa: Ihr wollet er-  
scheinen neben vnd mit andern Reichs - Ständen / helffen handeln /  
rathschlagen vnd schliessen. Deinde Imperii Decretis cum ceteris  
Statibus etiam sua affigunt sigilla; uti patet ex Ordin. Regim. Maxim.  
August. ann. 1500. Des zu vrfund haben wir Chur Fürsten/  
Fürsten / Prälaten / Grafen / vnd Reichstätt obgenant vnser ieglicher  
senn Insiegel / bey der Königl. Majest. Insiegel audisß libel thun  
hencken. it. Decr. Aug. 15. 12. Wir Churf. Fürsten / Prälaten /  
Grafen vnd Herren / vnd des H. Römischen Reichs Frey vnd  
Reichsstädte / Botschafften vnd Gewalthabern / bekennen öffent-  
lich mit diesen abschiedt / daß alle vnd jede Puncten vnd artickel mit  
vnsern guten wissen vnd willen vnd Rath fürgenommen vnd be-  
schlossen seind. Nonne verba hac satis manifesta? Et licet hæc eju-  
smodi formula non ubiq, verbis ita expressis in Decretis exprimantur,  
sufficiunt tamen primò hæc appositæ; pro secundo semper in reliquis De-  
cretis additur; Vnd andern Ständen / à quibus verbis qui excludere  
Imperii Civitates conatur, certè is Stat9 Imperii eas esse ejusq, mēbra  
negat; quod qua ratio videat ipse, neq, unius inclusio mox alterius est  
exclusio quando in reliquis Decretis tantum fit mentio Electorum &  
Principū; & ab autoritate negativè cōcludi negat Dialecticus. Tertio  
accedit & hoc, quia in colligendo Censu Imperii publico Civitates non  
minus quàm ceteri Stat9 suos huic negotio præficiunt Administratores  
& Prefectos vermōge der Königlichem Satzung von den gemeinen  
Pfennig zu Worbms 1495. per Maxim. Cur ergè non aq, ac ceteri  
Imperii Ordines ius suffragandi habeant? cū sint in Matricula Impe-  
rii aq, ac alii; atque in diplomatis & privilegiis Cesareis nobilia  
membra Imperii dicuntur, Sixt. Lib. I. c. 4. n. 80. & seqq. Unde

recte definiuntur à Tob. Paum. de Jurisd. Lib. II. c. 11. n. 13. quod  
sunt Communitates directe Imperio parentes, jus sessura & suffragio-  
rum obtinentes, & hac ultima differentiâ potissimum distinguuntur  
à ceteris provincialibus Urbibus. Distinctionem illam quod atti-  
net, frivola illa est; quia primò dicimus Suffragium nihil aliud esse  
quam consilium, uti & tota Comitata; Deinde ponamus esse differen-  
tiam quandam inter consilium & suffragium; ex aductis tamen mo-  
dò rationibus Civitates Imperii utrumque obtinere satis clarè liquet.  
Summa, Civitates Imperii habent jura & regalia communia cum  
reliquis Statibus, quæ iisdem negare, aut in dubium vocare, esset re-  
vulgare mundum, inquit Carpz. in Tract. supra alleg. Cap. III  
n. 30. & V. n. 5. Ergo & jus in Comitibus suffragandi. vid. Arum.  
ad A. B. Disc. 1. q. 8. Sixt. loc. all. addatur Limn. Libr. 1. De Jur.  
public. c. 7. n. 88. & seqq. Interim nec hoc negamus, magnam  
differentiam inter Civitatum Imperialium, atq; inter Electorum  
cæterorumq; Principum vota respectu valoris & modi suffragandi  
esse. quin Prelatorum, Comitum & Baronum votandi modus ab  
Electorum longe diversus; hi enim propter dignitatem Viritum in me-  
dium consulunt, cum illi propter multitudinem & minorem digni-  
tatem per Curias saltim vota sua exponant. neq; temere in ferendis  
suffragiis Civitates à cæteris Classibus dissentiri solent, sed sponte  
in illarum sententiam sepe descendunt, & consentiunt.

### THESIS VIII.

**V**el est materia Circa quam, sive Objectum,  
& sunt res arduæ atque negotia gravissima  
Imperium concernentia, de quibus in Comi-  
tiis tractari solet.

**V**elut de pace & negotiis aliis religionis, de bello movendo contra  
Turcã aut exteras nationes, de motibus in imperio ortis compo-  
nendis, de regni terminis conservandis & amissis recuperandis, It. de  
Monetis, De novo Imperii capite eligendo, De Collectis, De tribu-  
tis moderandis, aut si necessitas publica salutis requirit, novis impe-  
randis, de fœderibus inveniendis. &c. De his & similibus negotiis,  
quia

quia Imperator solus decernere non potest, in Comitibus consultatur,  
quia, quod ad omnes pertinet, ab omnibus peragatur. Alth. Polit.  
Cap. XIII, Carp. prædict, loc. Cap. VI,

### THESIS IX.

**A**ltera causa interna est Forma Comitiorum, quæ est modus sive Processus & solennitas quæ in Comitibus observari solet, quæ spectatur quoad antecedentia, Concomitantia & consequentia. In antecedentibus notanda sunt, quæ concernunt partim ipsum Imperatorem, partim Status Imperii, Processus respectu Imperatoris consistit in Citationem.

**C**itationis huius modus longè iterum decedit à forma antiquâ; quia populus ad Curiata Comitibus per Lictores 30. ad Centuriata vero per Cornicines vocabatur, teste Gell. in noct. att. Alex. ab Alex. lib. VI, c. 3. Ros. lib. VI, c. 7. Hodie Imperator, ubi salus Imperii flagitat, consensu & consilio Electorum Statibus imperat Comitibus per publica Edicta & literas Comitiales, in quibus breviter causam, cur comparere debeant, & de quibus negotiis in futuris Comitibus tractandum sit, exponere debet, quo maturo cum consilio citati ad Comitibus accedere possint; præterea tempus & locum conveniendi certum; ut, quando & ubi convenire debeant, ipsis innotescat. Goldast. In Ausführlichen Bericht wie es auff Reichs Tagen pfleget gehalten zu werden/ Cap. I,

### THESIS X.

**R**espectu Statuum; Ut ad citationem & Edictum Imperatoris compareant.

**P**rinces reliquos Status voluntatem Imp. est docti rebus singulis prius domi cum Cancellariis, Consiliariis, aliisque Viris prudentibus probe perpensis, fideliterque, quid de his Reip. saluti conducatur, noceatve, dispectis, ad indicta Comitibus vel ipsi adire, vel Legatos suos cum potestate

state plenissima ablegare iusto tempore debent. Legati ut primum ad locum Comitii destinatum pervenerint, nomina sua profiteantur apud Archi-Cancellarium Germania, ei<sup>2</sup> literas credentiales, quo sciat an fidem eis habere debeat offerant. Goldast. loc. alleg. cap. 20. Omnium autem primus Comitii interesse debet Saxo Elector, ut Statibus hospitia prepararet, quia Archimarschallus est, cui hoc com-  
petit.

## THESIS XI

Sic fuit Processus ante Comitiam; seq. qui ob-  
servatur in ipsis Comitiiis, & hic consistit po-  
tissimum in processione & sessione.

Postquam iam Status omnes comparuerunt, convenire die definita  
& hora omnes ad palatium Imp. debent, atq<sup>2</sup> inde cum Imper. Insi-  
gnib. Imperialib. induto, Ordine & prescripto modo cū pompa solenni  
ad Curiam Imperialem ascendāt. A. B. tit. 24. Hic de prerogativa  
in deambulando & sedēdo maxima saepe dissidia & clades factas fuisse  
legimus, unde Iohann. Samoiscius Poloniz Cancellarius dicitur  
hoc in Germanos effutire solebat: Germanos in Comitiiis suis fe-  
rè nihil aliud agere quam ut sessionibus digladiantur. H. Kirchn.  
de Legat. lib. 2. c. 5. n. 78. de quibus rixis queritur & Thom.  
Lanlius in Orat. contra Germ. pag. 1043. Huic malo ex parte  
subvenit Augustissimus Imperator Carolus IV. qui processione &  
sessionis inter Electores ordinem diffinivit nimirum ut in celebratione  
Curia Imperialis in processione Archimarschallus, cum stricto ense  
Imperiali, qui Iustitiam & Insigne superioris potestatis denotat, Im-  
peratorem immediate precedat cum Archi-Episcopo Trevirensi, ita  
ut inter hos quasi medius Imperator eosdem sequatur. Ad latera  
Imperatoris procedant Archi-Episcopi Moguntinus & Coloniensis;  
& quidem dextram tegat ille, in cuius Cancellariatu Comitiam cele-  
brantur; atq<sup>2</sup> hic etiam portabit super Baculo argenteo omnia sigilla  
& Typaria Imperialia. Porro Comes Palatinus à latere dextro  
portans pomum Imperiale, cum Cruce aurea super imposita, per fidem  
in crucem terra Dominum Imperatorem factum esse indicans;  
& Marchio Brandenb. Sceptrum regia dignitatis signum antiquis-  
simum.



finium cuius loco olim hastis utebantur. Vid. Turneb. Lib. XXII. Advers. c. 12. deferens, ab ipsius Ducis Saxonie latere sinistro lineariter gradientur: Hos principes ac Status reliqui, quilibet in suo ordine sequuntur. Imperator curiam ingressus residet loco celsiore variis aulais & tapetis magnificentissime adornato; Cui ex opposito sedebit Archi-Cancellarius Gallie: ad latera v. Archi-Cancellarii duo reliqui observato eodem ordine, qui in processione: porro in dextro latere post Archi-Cancellarium sessionem habet Rex Bohemiae, & post hunc Comes Palatinus; in sinistro autem Saxo & Marchio sedebunt; sede tamen quavis horum uno gradu Imperatoris throno inferiore. Vid. Constit. Imperat. tit. 3 & 4. Rursus alia subsellia aequè pomposè pro ratione dignitatis exstructa sunt, Imperatoris tamen sede duobus gradibus, & Electorum uno gradu inferiora, quaque in duo latera divisa; quorum dextrum occupant reliqui quatuor Archi-Episcopi, ac Legati Archi-Ducum Austriae & Burgundiae; nam hi propter summam eorum magnificentiam hac privilegia etiam pra Electoribus habent, ut nunquam teneantur comparere ipsi, licet non habeant Ehehafften emanendi, & propterea saepius suffragia sua exponunt per legatos: Sinistri lateris subsellia tenent Principes ceteri, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Imperii Civitatum legati, &c. Ex adverso Imperatori totus quasi grex Officialium & Consiliariorum minorum adstat. Facta sessione atq; turba composita, unus Electorum, quod plerumq; Archi-Episcopus Moguntinus facit nomine Imperatoris è medio surgens gratias agit Statibus pro obedientia praestita frequenti praesentia sua, cui mox gravi & succincta oratione succurrit Imperator ipse; ac brevibus repetita gratiarum actione, ut propositionem promulgandam cognoscere, quaque ad Romani Imperii salutem necessaria iudicent in medium consulere velint, hortatur. Et mox propositio de Scripto publico ab Imperatoris Secretario recitatur. qua pralecta Status omnes consurgunt & collocti inter se paululum gratias agunt Imperatori per Moguntinum Archi-Episcopum pro paterna in S. Imperium cura, simulq; copiam promulgatae propositionis & tempus de ea deliberandi sibi dari per eundem petunt cum debita reverentia, atq; obedientia promissione. Ad hac Imperator rursus gratias agit pro delata obedientia & officiorum proptitudine, eosq; as sententia

C

primo

primo quoque die de propositis articulis aperiendas animat, & gratiam suam atq; benevolentiam vicissim ipsis promittit. Quibus ita peractis Electores, Principes, cateriq; Status Imperatorem ex Curia rursus ad palatium suum eodem Ordine, eademq; solennitate & pompa comitantur, à quo deinde quisque ad hospitium suum discedit. Postero die Moguntinus Archi-Episcopus Statibus definit diem ferendi suffragia; qui dies ubi illuxit, omnes iterum ad Imperatoris habitationem congregantur, eademq; solennitate Imperatorem ad Curiam comitantur, ubi singuli sibi destinata loca repetunt. Quo facto, ordine & ratione praeminentia (qui n. dignior primo votum dare & loqui debet, Chals. part. 1. conf. 18.) vota Coelectorum inquirat incoando à Trevirensi, & observato eodem ordine, qui in processione & sessione definit in Marchione Brandenburgensi & mox interrogatus per Electorem Saxonia ab omnibus Coelectoribus & suam ipsis aperit sententiam. Et hic suffragandi modus preceptus est in Constitut. Carolina tit. 4. pag. 3. Autor des ausführlichen Berichts / wie es auff Reichs-Tagen ic. Cap. VI, hodie Moguntinum vota incipere, ceterosq; Electores ordine hunc sequi dicunt. Eodem modo reliquarum classium vota colliguntur, verū non in cōmuni curia sed privatim, & collecta deinde curiatim exponuntur, exposita v. cum Electorum votis ad Imperatorem deferuntur. Quod si accidat, ut omnium vota conveniāt, eaq; Imperatori placeant, jam res erit confecta. Sin minus, ita ut nec Imperator cum Statibus, nec Status ipse inter se conveniant, Imperator neutram partem potest cogere, ut alterius partis sententiam ratam habeāt; neq; ut sua sententia cedant; neq; Stat9 contra sententiā Imperat. atq; ipso invito possunt statuere quicquam, sed res manet in liberā conventionē; & tam diu adductis hinc inde ad confirmandam sententiam suam argumentis, inter se disceptant, donec rationibus pars altera victa sponte in alterius partis sententiam descendat; atq; sic quod maxima pars (intellige ordinum, non personarum) statuerit, illud legis robur & Decreti habebit vigorem. Postquam praedicto modo de singulis articulis deliberatum, & inter Imperatorem atq; Status conventum est, rediguntur consulta in formam Decreti, iisq; publice in concione pralectis, ab Imperatore, & ex singulis ordinibus vno obsignantur. Et de hoc ob-

gnan-

*di modo & ratione, quam diversa fuerit olim vide sis Paurm. Jurisd. Lib. II. c. 2. n. 33. Wend. in Instit. Polit. Bernh. Bertram in Disc. De Com. n. 72. & seqq. Schönborn d. Lib. IV. c. 33.*

## THESIS XII.

**C**onsequentia Comitiorum sunt, quæ finit-  
tis Comitiiis quoad processum observari  
solent.

**O**bsignatis itaque Decretis jam peracta sunt, qua agenda erant,  
& cuius gratia conventum erat. Tertio igitur atq; ultimò rur-  
sus priori solennitate ac celebritate ad curiam itur, ubi pro consuetu-  
dine facta sessione nova Decreta Statibus rursus praeleguntur: Tan-  
dem Moguntinus Archi-Episcopus actis denuo nomine Imperatoris  
gratiis Ordinibus, iisq; ad cōstantiam & promptam in similibus obedi-  
entiam exciatis Caesaris gratiam & benevolentiam ipsis promittit.  
Atq; his peractis solvuntur Comitia, & quisq; iterum salvo conductu  
secundum Constit. Imper. tit. 1. & 12. ad sua revertitur.

## THESIS XIII.

**H**actenus de Comitiiis totaliter; Seq. Parti-  
aliter per Divisionem: Et sunt Comitia vel  
Universalialia, vel Particularia. Universalialia quan-  
do omnes Status conveniunt, dequè Imperii  
negotiis consultant.

**O**lim in antiqua Rom. Repub. Comitiorum tria potissimum e-  
rant genera primo; Curiata quæ Romulum autorem habuerunt  
atq; sic antiquissima, in quibus omnia populi suffragia Curiatim per-  
agebantur Georg. Schönborn Lib. IV. Polit. c. 33. inque iis  
præcipue de rebus bellicis decernebatur. Alterum genus erat Cen-  
turiatorum, à Servio Tullio institutum; in quibus Consules, Pratores  
ceteriq; Magistratus majores creabantur datis suffragiis per Centu-  
rias, à quibus Centuriata dicebantur Comitia. Tandem erant Tri-  
buta Comitia, quando populus in Tribus divisus absque auspicio suf-  
fragia ferebat; & in his minores magistratus creabantur. Vid. plura  
de

de his apud Rosin. in Antiq. Rom. Lib. VI. A. Gell. Lib. XIII. c. 14. Blondum Rom. triumph. Lib. III. Dionys. Halicarn. Lib. VII. Cruch. De Gom. Rom. Alex. ab Alex. Lib. IX. Gen. dier. c. 3. Grut. in Annotat. super Liv. Lib. I. in fin. Alth. Polit. c. 13. Osvald. Hillig. Donell. enucl. Lib. VI c. 6. Pont. Progymn. 20. vol. III. part. post: & alios. *Hodie Comititia alia sunt Generalia sive universalia, quando omnia Imperii membra congregantur, & de horum Comitiorum causis hactenus maxime egimus; alia, uti dictum, sunt Particularia, quae generalium formam ac processum aliquantum pro ratione dignitatis imitantur.*

#### THESIS XIV.

**C**omititia Particularia sunt vel Usitata, vel In-usitata. Usitata sunt vel Celebriora, vel minus solennia. Illa sunt vel unius Classis, & sunt Electorum Comititia.

**H**orum Conventus vel sunt Ordinarii, vel Extra-ordinarii. Illi dicuntur Comititia Imperatoria, Wahl Tage, quando Electores, ut Regē Roman. eligant Imperio conveniunt; de quorum Comitiorum processu Vid. Constit. Imperial. Carol. IV. Hujus Conventus auctoritatem Papa propriam vendicare sibi contra omnia tam divina, quam humana jura tentat, ita ut sine ejus consensu de eligendo rege Romanorum Electores convenire non debeant, quasi à Pontifice omnis Imperatoris majestas, ac titulus dependeat, quae omnia solus ille huic tribuat; cujus detestanda arrogancia inter ceteros etiam fuit Bonifacius VIII. Vid. Wolf. Cent. XIII. lect. memor. p. 385. Sed quampiā, quamque nefanda audacia sibi hanc arrogarint potestatem, ad, si lubet, Peuc. Lib. IV. Chronic. Extra-ordinarii Conventus sunt, quando dicti Electores de alio negotio consultandi gratia conveniunt, quae potestas conveniendi ipsis à Carol. IV. in A. B. concessa est tit. 12. Carpz. de Capitul. Cæsar. Cap. V. n. 13.

#### THESIS XV.

**V**el plurium; & sunt Comititia Deputatorum.

Vulgò

**V**ulgò Deputationis oder Visitationis Tag. quando nimirum ab Imperatore Commissarius, & ex omnibus Statibus selecti conveniunt, ibique de Imperii negotiis tractant, in quibus eadem fere solennitas observatur, quæ in universalibus. Adest enim Legatus Cæsarius cum potestate plenissima, ac idem honor, qui Imperatori, ipsi deferitur: intersunt Principes, Prælati, Comites, Barones, &c. Hæc Comiticia prima celebrata fuerunt Augusta Anno 1555, ubi Ferdinandus Romanorum Rex Caroli V. Imperat. fratris Commissarius aderat, quod Imperator ipse propter motus in Imperio ortis Comiticiis universalibus interesse non poterat c. vnd aber, vid. Paurm, Lib. II. de Jurisd. c. 2.

### THESIS XVI.

**M**inus Solennia sunt Circulorum Comiticia, Germ. dicuntur *Kräys Tage*.

**E**T hi Conventus iterum sunt vel Universales, vel Particulares. Illi, quando omnes 10. Circuli, puta Francicus, Bavaricus, Austriacus, Suevicus, superior Rhenanus, quatuor Electorum ad ractum Rheni, Westphalicus, superior Saxonicus, Inferior Saxonicus & Burgundicus, quorum quisque tres Status continet, (quod quidem negat Limn. Lib. I. De Jur. publ. c. n. 31.) Ecclesiasticorum, secularium & Civitatum, conveniunt, & de negotiis ad Imperium pertinentibus, ut de re monetaria, de pace publica cõservanda, &c. tractatur. Wend in Inst. Lib. II. c. 16. Particulares quando unius tantum Circuli Status vel plurium per Duces & Consiliarios durch die Kräys Obristen / quos quisque Circulus pro lubitu ipse sibi eligit, test. Limn. d. I. n. 23. singulis annis ad minimum semel congregantur Schönborn Lib. IV. c. 33.

### THESIS XVII.

**I**nusitata hodiè Comiticia particularia sunt, Regimenti Conventus,

**H**os primus instituit Maxim. Imp. An. 1500. Cum enim in Comiticiis Wormatiens. Von Handhabung des Friedens x. An. 1495. ab Imp. & Statibus decretum esset ut singulis annis in Civita-

te quâdam Imperiali convenirent, ac de Christiani Imperii rebus consultarent; revocare tamen consensu Electorum Illud Decretum propter frequentes in S. Imperium irruptiones hostium Christiani nominis Turcarum Imperator Maximil. coactus fuit, ne gravior clades Imperio soli relicto ab hostibus istis ferocissimis immitteretur quam de eius salute in Conventibus prospiciatur. Interim ne ejusmodi salutare Congregationes, ut quæ nihil aliud quam Imperii Epitome, intermittantur, sed languenti Imperio nihilominus salutaribus remediis atq; Consiliis subveniatur, Augustissimi Imperatoris cura prævidit; dum Ordinum approbatione viginti personas ex Statibus elegit, tanquam Imperialem Senatam, quibus & Commissarium suum addidit, usq; plenissimam potestatem in Imperii negotiis decidendi, tractandi & justitiam administrandi concessit. Commissarius a. Cæsarius Comitibus aut Baronibus dignitate non debebat esse inferior. Cætera persona ex Ordinibus eligebantur, quas videre quis potest in ipsa Regimenti Ordinatione Anno. 1500. Hanc Constitutionem quidem Carolus V. Imp. quatuor personis auxit Anno 1555. Augusta; succedente a tempore sub eodem in desuetudinem abiit. Vid. Tob. Paurm, Lib. II c. 2, num. 48. & seqq. Schönborn Lib. IV. Polit. c. 33.

### THESIS XVIII.

**S**ic fuit de naturâ Comitiorum; Seqq. eorum Affectiones, quæ sunt tum Tempus.

**O**lim certi dies erant, qui dicebantur Comitiales, quibus Comititia fieri licebat; de quibus videre est in Elect. Paul. Manut. apud Rosin. de Ant. Rom. C. Plin. natur. hist. Lib. XVIII. c. 3. Hodie Comititia celebrantur, quoties Reipub. Rom. flagitas salus & necessitas; non enim certum ac definitum tempus habent Imperii Status, quo conveniant, sed citati quocunque tempore ab Imperatore approbante Semptemviratu, uti supra dictum, comparent. Quamvis enim in A. B. constitutum erat à Carolo IV. ut singulis annis semel, transactis, à festo Resurrectionis Christi, quatuor septimanis Imperator cum Statibus in Civitate Imperiali convenirent. tit. 12. tamen hoc tempus hodie non observatur, & in anno interdum semel, sæpe

sape crebrius, aut etiam plane *Conventus* *solemnes* & *generales* nulli celebrantur.

## THESIS XIX.

### Tum est Locus.

**L**ocus apud *priscos Romanos*, in quo *Comitia* agebantur, pro diversitate *Comitiorum* erat etiam diversus. Aut enim *Comitia* fiebant *auspicato*, & sic in certo etiam & *auspicato* loco tractabantur. & quidem *Curiatis Comitibus* intra *Urbis pomeria* juxta *forum*, imò pars erat *fori*, locus erat deputatus, à *Palatii porta* incipiens, usq; ad *Templum D. Mariae Novae*, qui locus dicebatur *Comitium*. *Centuriata* verò *Comitia*, quae semper exercitus in armis presente celebrantur propterea intra *murum* fieri nefas erat, ac extra *Romam* in *campo Martio* perficiebantur. *Rosin. Ant. Rom. d. Lib. VI. & Thom. Dempst. super eund. Loc. Gell. Lib. XV. c. 27. Francisc. Patrit. Lib. IX. Instit. tit. 4. De Campo Martio.* Sed quae absq; *auspiciis* contraherentur, qualia erant *Tributa*, de his integrum erat utrum intra vel extra *Urbem* instituerentur. *Rosin. Lib. VI. c. 18.* *Nostro tempore* eadem fere ratio est *Loci Comitiorum*, quae est *temporis*, scilicet ut aequè in arbitrio *Casaris* atq; *Electorum* sit, ubi velint convenire, ubicunq; enim *Imperator* est, ibi *Roma* est. Ex *constitutione* quidem *Carolina*, & ex *Capitulationibus*, Item ex *Recess. Imperii*, potissimum *Anno 1566. Augusta*, apparet, prima quaque post *Electionem Imperatorem Noriberge* celebrare teneri, quod tamen etiam anxie admodum non observatur, & propter *pestem* eo in loco tunc forte grassantem, aut alias rationes saepe aliò trahuntur. Extra tamen *Germanie* limites ad *Comitia* ab *Cesare* citati *Status* impune non obtemperant; neq; propter *juramentum* in *Capitulatione* *Electorum* praestitum extra *fines Imperii Germanici* *Comitia* contrahere audeat; imò uti ipsa *Comitia* non nisi *consensu* *Electorum* contrahere, ita nec locum propria *autoritate* absque eorum *approbatione* definire potest. Ut plurimum a. in *Civitate* quadam *Imperiali* pro *ratione commoditatis* instituuntur; quamvis interdum etiam in *municipiis* & *provinciilibus* *urbibus* contracta apud *historicos* legantur: ita namq; *Magdeburgi* *Comitia Imperialia* celebrasse *Ottonem II.* testatur *Heig. Quaest.*

TK 1779 QX  
Quæst. VIII. n. 41. *Et ibidem Ott. III. teste eodem. Item Wirz-  
burgi Fridr. 1. Barbarossam habuisse Comitiam probat Crantz. in  
Metrop Lib. VI. c. 36. Vid. Carpz. Capitul. Cæsar. Cap. V. Au-  
ctor des ausführlichen Berichts wie es auff Reichs-Tagen pfflegt  
gehalten zu werden/ Cap. 1.*

**E**T ruit Imperium, ruit ac antiqva potestas  
Majestas qvia nunc pristina nulla viget.  
*Horror* adest, & terror adest, dum barbarus ensis  
In cunctis violat singula jura locis,  
In qvia diversos abeunt momenta recessus  
Et turbant votis dissona fata suis,  
Ne ruat omninò, coëuntia vota vicissim  
Totius Imperii fata juvare volunt,  
Id vult Europæ confessus, secula qualem  
Nulla sciunt, nava nec sunt habitura parem.  
Sola sed *Osnabruga* modò veneranter adorat  
Dum Majestatem totius Orbis habet.  
Numina qvum coëant Mundi prudente senatu,  
Ut coëat pacis rursus & omne decus.  
Sic Amphictyonis quondam, quos jactat Olympus,  
Omnia sub censum patria jura dabant.  
Quæ tamen & quare thesibus SCHUBARTUS ad umbrans  
Totius Imperii publica jura refert.  
Talia SCHUBARTUS pergat! Themis ipsa juvabit  
*Horror* ut Imperii non sit, at Orbis honor  
At Tu Magne DEUS fac pristina secla remigrent  
*Osnabruga* sit & pacis in orbe thorus.

GUEINZIUS

**S**I prudens iterum Sami rediret | Immortale cohortis erudite,  
**P**roles, præcipiēs modū loquela | Terras claraq; fama tunc subibit  
**S**tringēdi breviter rudes catervas | Dū pergas referēs, quod arte possis  
**R**erum: Progeniē suam æstimaret, | Responsum Thēidos sacra petenti  
**S**tringentē breviter tuū laborem | Fidum promere: Digna tū brabeia  
**C**ōfessus, Sedeas, Schubarte, fidus | Spondent secula fortiter cienti  
*Pugnas Dadaleas, loquor futura!*

JANUS NICOLAI

F I N I S.



B. M. II 123.  
h. 29, 31.



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



II k  
1779

